

errores descriptionum et determinationum mihi benignissime communicabis. ¹⁾)

In aliquot diebus Angliam petam, vbi per totam aestatem degam, si vero litteris TVIS benignissimis nosocomium Fridericianum Hafniae inscribis, eas securo per parentem optimum accipiam. Vale, Vir generosissime semperque fauere perge.

Hafniae d. 14 April.

1773.

(83) Viro celeberrimo atque generosissimo

D. D. C. a Linné

Archiatro, Equiti et Professori

s. p. d.

J. C. Fabricius

Data occasione cum amico meo suavissimo D. D. Gieseke iterum aliquot insectorum species TECum, Vir celeberrime, communicare debui. Dudum iam eum cognoui in exteris regionibus et semper persuasi, vt primo aliquod tempus Vpsaliam tereret. TE duce certissime maiores fecisset progressus in historia naturali, et tunc maiori cum fructu apud externos degisset. Nunc tandem resoluit TVIS sub auspiciis studia historiae naturalis finire, et certissimus sum, vltimum hoc iter magis illi prodesse, quam reliqua omnia.

Insecta, quae nunc TIBI offero, pauca sunt nec splendida, at tamen pleraque haud descripta credo. N° 1—13 Insecta sunt e Tranquebar Indiae Orientalis a D. Koenigio missa. Distincta et indeterminata mihi omnia videntur. Hac aestate nauibus, quae nunc domi veniunt, totam collectionem insectorum huius regionis exspecto, de quibus data occasione postea plura ²⁾)

Litteras TVAS nouissimas accipio, quas statim D^r Gieseke communicauit, et hodie adhuc iter inchoatum continuabit. Ille

¹⁾ Bemærkninger om 75 Plantearter.

²⁾ Liste over 25 Arter Insekter, mest europæiske.